

Serenissimo & Illustrissimo Principi ac Domino,

DOMINO IOHANNI,
COMITI PALATINO RHENI; TVTO-
RI ET ELECTORALIS PALATINATVS
Administratori; S. R. Imperii in partibus Rheni,
Suevia, Iurisq; Franconici Provisori & Vicario;
Duci Bavaria; Comiti Veldentia
& Sponhemii &c.

secundum SPONSO:

NEC NON

Illustrissima Principi ac Heroidi, Domina

DOMINÆ LOYSIÆ;

Serenissimi, Potentiss. celeberrimaq; memoria Principis, FRIDERICI IV.
Palatinatus Rheni, ac S. R. Imperii Electoris, Ducis Bavaria &c. filia,

SPONSÆ,

Conjugale fedus V. Non. Maji. MDCXII. anno, Heydelbergæ feliciss. ferientib.

IOHANNI, Duce nata, Duci LOYSIA nubit:

Sacra fave Sponsis Numinis Aura novis.

Non ita Sapphiri sociantur ritè Pyropis:

Non ita purpureis lilia cana rosis.

Non ulmo melius vitis conjungitur: aut plus

Mons Libanus Cedros; Balsama Memphis amat.

Moribus, ingenio, pietate, virente juventâ,

Suntq; DUCVM verâ nobilitate pares.

Hic tamen illustri magis est Heroide dignus;

Illustri magis hæc est quoq; digna Viro.

Spiritus alme veni, sancti generator amoris,

Sponsorumque reple pectus amore tui.

Sit domui pax, sit socio concordia lecto,

Tamq; pari presens gratia dia jugo.

In bona multiplices manent, hinc publica fructus:

Grata DEO gignant, pignora; grata bonis.

Plus vel Ulysse tori Sociam colat Ille jugalis;

Penelopéque magis diligat Illa Virum.

Humil^r. devot^{is}

Debitaq; observ. ergo accineb.

IOHANNES FILICZKI de FILEFALVA.

2148

Yc